

Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

108449

laiestas

Incarnati

Domini et Salvatoris nostri

JESU CHRISTI

elucidata

ex libris novi testamenti.

Selectio facta

per


Mich. Lendovšek,

parochum Lavantinum.

Cum permissu superiorum.

GRAECII 1897.

Typis et sumptibus „Styriae“.



Divina Maiestas

Verbi incarnati

Domini et Salvatoris nostri

JESU CHRISTI

elucidata

ex libris novi testamenti.

Selectio facta

per


Mich. Lendovšek,

parochum Lavantinum.

Cum permissu superiorum.

GRAECII 1897.

Typis et sumptibus „Styriae“.



232.3(04)

108449

108449



D 8382/1950.

Approbatio.

Quum opus „Divina Maiestas Verbi incarnati Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi elucidata ex libris novi testamenti“, cuius auctorem Michaelem Lendovšek, consiliarum in spiritualibus atque parochum ad Sancti Andreae in Makole dioecesis nostrae Lavantinae, literarum studia et in cura animarum suscepti labores multum commendant, nihil contineat, quippe quod sanae doctrinae adversetur, et haud parum ad meliorem cognitionem nec non ad perfectiorem amorem divini Salvatoris conferre valeat, illud libentissime approbamus atque ad promovendum studium sacrarum Scripturarum in eorum usum, qui theologiae student aut animarum curae operam navant, ut typis exprimatur, dignum existimamus.

*In residentia Nostra Pr. Episcopali Marburgi
Kalendis Maiis 1896.*

L. S.

*† Michael,
Princeps Episcopus.*

Index.

	Pagina
Praeambula	III
Cap. I. Mysterium Incarnationis magnum	1
Cap. II. Divinitas Verbi incarnati	14
Cap. III. Regnum Ipsius	23
Cap. IV. Potestas universalis	30
Cap. V. Gloria et maiestas Domini nostri Jesu Christi	41
Cap. IV. In Ipso omnis salus et gratia	54
Cap. VII. Dominus Jesus via, veritas et vita nostra	66

II. Tim. 3, 16.

Omnis scriptura divinitus inspirata utilis
est:

ad docendum,

ad arguendum,

ad corripiendum,

ad erudiendum in justitia!

Jo. 20, 31.

Haec autem scripta sunt,


ut credatis,

quia Jesus est Christus

Filius Dei,

et ut credentes vitam habeatis

in nomine Ejus.



Praeambula.

I. Jo. 2, 18. Filioli, novissima hora est, et sicut audistis, quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus, *quia novissima hora est.*

II. Jo. 1, 7. Quoniam *multi seductores exierunt in mundum*, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carnem: hic est seductor et Antichristus.

Jud. 18. Quoniam in novissimo tempore *venient illusores*, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus.

I. Jo. 2, 22. Quis est mendax, nisi is, *qui negat, quoniam Jesus est Christus?* Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium.

I. Jo. 2, 23. Omnis, qui negat Filium, nec Patrem habet: qui confitetur Filium, et Patrem habet.

I. Jo. 4, 2. In hoc cognoscitur spiritus Dei:

omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum venisse, ex Deo est;

I. Jo. 4, 3. et omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo non est; et hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, *et nunc jam in mundo est!*

I. Jo. 3, 10. In hoc manifesti sunt filii Dei, et filii diaboli.

* * *

Incarnationem Dei negant seductores hodierni, veri atheistae, revera antichristi. Huc spectant omnes controversiae et exinde emanant cuncta errata nostri saeculi.

Deus — homo, homo — Deus, Christus Jesus, Dominus et Salvator noster, Salvator mundi!

Quodsi revera Deus, Unigenitus Patris,

natus de immaculata Virgine, conversatus in mundo, proinde omnia verba Ejus ac *doctrina divina*, de qua recedere non licet; proinde omnes institutiones Ejus (ecclesia, sacramenta, primatus Petri et successorum etc.) vere divinae, quibus omnino adhaerendum; proinde, quod peramanter addimus, *Virgo Mater Ejus Maria* revera Dei Genetrix, gloriosa mater Dei, digna omni cultu hyperduliae, omni reverentia ac dilectione nostra. „*Adjutricem populi christiani, potentem et clementissimam, Virginem Dei Matrem, dignum est, et magnificentiore in dies celebrare laude et acriore fiducia implorare.*“ (Epist. Apost. Leonis P. P. XIII. 5. septbr. 1895.) Neque unquam quis causam horum brevius fortiusque edixit, quam ipse ille sanctissimus Pater, doctor infallibilis dicens (Epist. Encycl. Leo-

nis P. P. XIII. 1. septbr. 1883): „*Hanc ad rem nihil validius potiusque judicamus, quam religione et pietate demereri magnam Dei Parentem Mariam Virginem, quae Pacis nostrae apud Deum sequestra et coelestium administra gratiarum in celsissimo est potestatis gloriaeque fastigio in coelis collocata, ut hominibus ad sempiternam illam civitatem per tot labores et pericula contendentibus patrocinii sui subsidium impertiat.*“

Ac iterum ibidem: „*Revera primaevae labis expers Virgo, adlecta Dei Mater, et hoc ipso servandi hominum generis consors facta, tanta apud Filium gratia et potestate valet, ut majorem nec humana nec angelica natura assecuta nunquam sit, aut assequi possit.*“*)

*) Additamento per decr. Urb. et Orb. die 10. decembr. 1883 in litaniis lauretanis mandato:

Incarnatio Verbi aeterni est vero mysterium, et quidem. mysterium omnium mysteriorum; mysteria autem simpliciter credenda!

Nolunt mihi interdum sapere apologiae longiores doctorum sapientium, sublimia loquentium de astris coeli ac de intestinis terrae marisque! I. Cor. 2, 4, 5: „*Sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et*

„Regina sacratissimi Rosarii“, *regales tituli* Reginae gloriosissimae attigerunt numerum decimum: 1. Regina Angelorum, 2. R. Patriarcharum, 3. R. Prophetarum, 4. R. Apostolorum, 5. R. Martyrum, 6. R. Confessorum, 7. R. Virginum, 8. R. Sanctorum omnium, 9. R. sine labe originali concepta, 10. R. sacratissimi Rosarii.

Ast in libro prophetico novi testamenti Apoc. 12, 1. assignantur duodecim stellae resplendentes in corona „Mulieris“ magnae, quae apparuit in coelo . . . „et in capite ejus *corona stellarum duo-*

virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.“ — I. Cor. 8, 1: „Scientia inflat.“ I. Cor. 13, 8: „Scientia destruetur!“

Fidem, fidem quaero, non argumenta. I. Jo. 5, 4: . . . „*haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra!*“ Et iterum I. Jo. 5, 5: „*Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam Jesus et Filius Dei?*“

decim“. Quae nempe erunt duo istae stellae, quae adhuc desiderantur? Nonne forsitan: 11. *Regina cordis Jesu!* (regina, quia mater et dominatrix), 12. *Regina coeli et terrae!* qui posterior titulus jam diu in usu habetur per libros catholicos v. g. in hymno „Regina coeli laetare“, „Salve Regina“ etc.

Quod ut fiat quantocyus benigna dispositione Spiritus sancti ad majorem gloriam ac laudem amantissimae Matris nostrae coelestis, precari volumus ex intimo corde ac exoptandum piis animabus enixe commendamus.

Quaecunque credenda de Incarnatione Filii Dei Unigeniti, ecce proposita inveniuntur in sacris libris praecipue novi testamenti; et haec quidem magnifica, sublimia, universalia!

Libenter confiteor, me fastidio aversum a mendaciosis machinationibus draconis infernalis ejusque coadjutoribus persaepe confugisse ad eloquia sacra illisque cor meum satiatum fuisse consolatione superna, spiritumque pacificatum mira illuminatione coelesti, me quoque firmiter persuasum de veritate christiana, quam foliis quibuscumque humanae inventionis.

I. Pet. 1, 25. „*Verbum Domini manet in aeternum*; hoc est autem verbum, quod evangelizatum est in vos.“ Luc. 21, 33: „*Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*“

Nec mirum, si in hodierno praelio acutissimo inter Christum et Belial perlubenter iterum iterumque recurrimus ad locos spectantes *divinam gloriam et maiestatem Domini nostri Jesu Christi*. Jo. 16, 33: „*Confidite: ego vici mundum!*“ Phil. 3, 8: „*Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*“ II. Pet. 3, 18: „*Crescite vero in gratia et cognitione Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi!*“

Tales inter scrutationes hinc inde notata ac selecta*) propono hicce reverendis

*) In citationibus usus sum editione Vulgata, facta per Valent. Loch, editio secunda. Ratisbonae 1862.

fratribus in Domino, ut magis magisque gaudeant mecum in Domino, praeprimis jam vero clericis studiosis juxta monita praeclarissimi ducis et magistri nostri Leonis P. P. XIII. in Epist. encycl. 17. nov. 1893 (de studiis scripturae sacrae):

„Per exempla ergo Christi Domini et Apostolorum omnes intelligant, tirones praesertim militiae sacrae, *quanti faciendae sint divinae Litterae, et quo ipsi studio, qua religione, ad idem veluti armamentarium accedere debeant.*“

Ibidem: „Recte affirmavit Hieronymus: *ignorantiam Scripturarum esse ignorantiam Christi* — *ab illis nimirum extat, veluti **viva et spirans, imago Ejus***, ex qua levatio maiorum, cohortatio virtutum, amoris divini invitatio mirifice prorsus diffunditur.“

Ibidem: „*Qui sacrarum Scripturarum testimoniis roboratus est, is est propugnaculum Ecclesiae.*“ (S. Hieron.)

Audi verbum Domini Apoc. 22, 16: „Ego Jesus misi Angelum meum, *testificari vobis haec in ecclesiis*“ . . . (misit utique non solum temporibus b. Apostoli et Evangelistae, sed certe nobis quoque aequali modo.)

Makole (Maxau), Dominica Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi die 5. Aprilis 1896.

Selector.

CAP. I.

Mysterium Incarnationis magnum.

Col. 4, 3—4. . . . Orantes simul et pro nobis, ut Deus *aperiat nobis ostium sermonis ad loquendum mysterium Christi* (propter quod etiam vinctus sum¹⁾, *ut manifestem illud ita ut oportet me loqui!*

Heb. 5, 11. De quo nobis *grandis sermo et ininterpretabilis ad dicendum*, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum.

a.

Apoc. 10, 7. In diebus vocis septimi Angeli, cum coeperit tuba canere, *consummabitur mysterium Dei*, sicut evangelizavit per servos suos Prophetas.

I. Cor. 2, 7. . . . loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, *quam*

¹⁾ Nos vincti spiritu in amore D. n. Jesu Christi.

praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit...

Col. 1, 26—28. ...mysterium, quod *absconditum fuit a saeculis et generationibus*, nunc autem manifestatum est sanctis ejus,

27. quibus voluit Deus *notas facere divitias gloriae sacramenti hujus in gentibus*, quod est Christus, in vobis spes gloriae,

28. *quem nos annuntiamus*, corripientes omnem hominem perfectum in Christo Jesu.

Col. 2, 2. ...ut consulentur corda ipsorum, instructi in caritate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, *in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu*,...

II. Tim. 1, 9. ...qui nos liberavit et vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum et gratiam, *quae data est nobis in Christo Jesu ante tempora saecularia.*

Eph. 1, 9. ...ut notum faceret nobis *sacramentum voluntatis* suae secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo,

10. *in dispensatione plenitudinis temporum*...

Act. 3, 20. . . . ut cum *venerint tempora refrigerii* a conspectu Domini, et miserit eum, qui praedicatus est vobis, Jesum Christum, 21. quem oportet quidem coelum suscipere *usque in tempora restitutionis omnium*, quae locutus est Deus per os sanctorum suorum a saeculo Prophetarum.

Eph. 2, 5. . . . convivificavit nos in Christo (cujus gratia estis salvati)

6. et conresuscitavit, et consedere fecit in coelestibus in Christo Jesu,

7. *ut ostenderet in saeculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae* in bonitate super nos in Christo Jesu.

Eph. 1, 5. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, *secundum propositum voluntatis suae*,

6. *in laudem gloriae gratiae suae*, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.

Eph. 3, 10. . . . ut innotescat principatibus et potestatibus in coelestibus per Ecclesiam, *multiformis sapientia Dei*,

11. *secundum praefinitionem saeculorum*, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro . . .

Rom. 16, 25. . . . secundum *revelationem mysterii temporibus aeternis taciti*,

26. (*quod nunc patefactum est per scripturas Prophetarum secundum praeceptum aeterni Dei ad obeditionem fidei*), in cunctis gentibus cogniti, . . .

Eph. 3, 9. . . . et illuminare omnes, quae sit *dispensatio sacramenti absconditi a saeculo in Deo*, qui omnia creavit . . .

I. Pet. 1, 19. . . . agni immaculati Christi et incontaminati;

20. *praecogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem novissimis temporibus propter vos*, . . .

I. Tim. 3, 16. Et manifeste *magnum est pietatis sacramentum*, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu, apparuit Angelis, praedicatum est gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria.

Heb. 10, 37. Adhuc enim modicum aliquantulum, *qui venturus est, veniet*, et non tardabit.

b.

- Gal. 4, 4. At *ubi venit plenitudo temporis*, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege...
- Heb. 1, 2. *Novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio*, quem constituit heredem universorum, per quem fecit et saecula!
- Jo. 1, 1. *In principio erat Verbum*, et Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.
- Jo. 7, 27. Sed hunc scimus unde sit: *Christus autem cum venerit, nemo scit, unde sit*.
- Luc. 1, 34. Dixit autem Maria ad Angelum: *Quomodo fiet istud*, quoniam virum non cognosco?
- Luc. 1, 35. Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.
- Jo. 19, 9. Et dixit ad Jesum: *Unde es tu?* Jesus autem responsum non dedit ei.
- Jo. 12, 34. Quis est iste Filius hominis?
- Jo. 6, 42. Et dicebant: *Nonne hic est Jesus, filius Joseph*, cujus nos novimus patrem et matrem? Quomodo ergo dicit hoc: *Quia de coelo descendi?*

Luc. 3, 23. Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, *ut putabatur, filius Joseph . . .*

Mat. 12, 23. *Et stupebant omnes turbæ et dicebant: Numquid hic est Filius David?*

Jo. 8, 25. Dicebant ergo ei: *Tu quis es?* dixit eis Jesus: *Principium*, qui et loquor vobis.

Jo. 8, 58. Dixit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: *Antequam Abraham fieret, ego sum.*

Jo. 1, 25. Joannes testimonium perhibet de ipso, et clamat dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, *ante me factus est, quia prior me erat.*

Mat. 12, 41. Et ecce, plus quam Jonas hic.
42. Et ecce, plus quam Salomon hic.

Jo. 4, 25. Dixit ei mulier: *Scio quia Messias venit* (qui dicitur Christus); cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.

26. Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum.

Jo. 4, 10. Respondit Jesus et dixit ei: Si scires donum Dei, *et quis est*, qui dicit tibi: Da mihi bibere; tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam?

Eph. 3, 17. Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in caritate radicati et fundati,

18. ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, *quae sit latitudo et longitudo, et sublimitas et profundum;*

19. scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

Col. 1, 20. Et per eum reconciliare omnia in ipsum, *pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt!*

Act. 2, 23. Hunc *definito consilio*, et praescientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemistis, ...

I. Pet. 1, 11. ... *scrutantes in quod, vel quale tempus significaret* in eis Spiritus Christi; praenuntians eas, quae in Christo sunt, passiones et posteriores glorias.

Apoc. 13, 8. ... quorum non sunt scripta nomina in libro vitae Agni, qui *occisus est ab origine mundi...*

Jo. 19, 11. Respondit Jesus: *Non haberes potestatem* adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper.

Mat. 26, 54. Quomodo ergo implebuntur Scripturae, *quia sic oportet fieri?*

Act. 26, 23. . . . si *passibilis Christus, si primus* ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiaturus est populo et gentibus . . .

Heb. 2, 17. Unde *debu*t per omnia fratribus *similari*, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.

Heb. 5, 7. Qui *in diebus carnis suae* preces, supplicationesque *ad eum, qui possit illum* salvum facere a morte cum clamore valido, et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.

Heb. 9, 24. Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum coelum, ut *appareat nunc vultui* Dei pro nobis:

25. neque ut saepe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex intrat in Sancta per singulos annos in sanguine alieno:

26. alioquin oportebat *eum frequenter pati* ab origine mundi: nunc autem semel in consummatione saeculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit.

Act. 3, 18. Deus autem, *quae praenuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum*, sic implevit.

I. Tim. 2, 5. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum, *homo Christus Jesus*, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, testimonium temporibus suis...

Eph. 1, 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo,

4. sicut elegit nos in ipso *ante mundi constitutionem*, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in caritate.

Jo. 1, 29. Altera die vidit Joannes Jesum venientem ad se et ait: *Ecce, Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi*.

36. Et respiciens Jesum ambulantiem dicit: *Ecce, Agnus Dei*.

I. Pet. 1, 8. ...quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque *non videntes creditis*; credentes autem exultabitis laetitia *inenarrabili et glorificata*:...

C.

Jo. 8, 23. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis: *ego de supernis sum*. Vos de mundo hoc estis: ego non sum de hoc mundo.

Jo. 8, 42. Ego enim *ex Deo processi*, et veni; neque enim a me ipso veni, sed ille me misit.

Jo. 3, 31. *Qui desursum venit*, super omnes est... Qui de coelo venit, super omnes est.

Jo. 3, 13. Et nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, *Filius hominis, qui est in coelo*.

Jo. 6, 63. Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, *ubi erat prius?*

Jo. 5, 43. *Et veni in nomine Patris mei*, et non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.

Jo. 9, 33. *Nisi esset hic a Deo*, non poterat facere quidquam.

Jo. 8, 19. Dicebant ergo ei: *ubi est Pater tuus?* Respondit Jesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, forsitan et Patrem meum sciretis.

Jo. 3, 2. Hic (Nicodemus) venit ad Jesum nocte et dixit ei: *Rabbi, scimus, quia a Deo*

venisti magister, nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.

Jo. 8, 27. *Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum.*

Jo. 7, 31. De turba autem multi crediderunt in eum et dicebant: *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet, quam quae hic facit?*

Phil. 2, 6. ... qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, *esse se aequalem Deo;*

7. sed semetipsum exinanivit, *formam servi accipiens, in similitudinem hominis factus, et habitu inventus ut homo.*

Mat. 22, 45. Si ergo David vocat eum Dominum, *quomodo filius ejus est?*

Tit. 2, 11. Apparuit enim *gratia Dei Salvatoris nostri* omnibus hominibus.

Col. 2, 3. ... in Quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi!

Eph. 2, 20. ... Ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

21. in quo *omnis aedificatio constructa* crescit in templum sanctum in Domino.

Jo. 4, 29. Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia, quaecumque feci, *numquid ipse est Christus?*

Jo. 1, 10. In mundo erat et mundus per ipsum factus est et *mundus eum non cognovit.*

11. *In propria venit*, et sui eum non receperunt;

Act. 5, 38. . . . quoniam, *si est ex hominibus consilium hoc* aut opus, dissolvetur: si vero ex Deo est, *non poteritis dissolvere illud*, ne forte et Deo repugnare inveniamini.

Jo. 18, 37. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati!

Jo. 7, 15. Et mirabantur Judaei dicentes: *Quomodo hic literas scit*, cum non didicerit?

Jo. 8, 38. Ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor!

Jo. 14, 28. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia *Pater major* me est!

Jo. 14, 10. Non creditis, *quia ego in Patre, et Pater in me est?* . . . Pater autem in me manens, ipse facit opera.

Jo. 12, 44. Qui credit in me, non credit in me, sed in eum, qui misit me.

Jo. 12, 45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me.

Heb. 10, 21. . . . *sacerdotem magnum super domum Dei:*

Jo. 4, 42. Et mulieri dicebant (Samaritani):
Quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim *audivimus*, et scimus, quia hic est vere *Salvator mundi!*

Luc. 11, 27. Factum est autem, cum haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: *Beatus venter, qui te portavit*, et ubera, quae suxisti.

Luc. 10, 23. *Beati oculi, qui vident*, quae vos videtis!

Jo. 1, 14. Et Verbum caro factum est et *habitavit in nobis*, et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis!

Mat. 2, 11. . . . Et intrantes domum, *inven-
runt puerum cum Maria matre ejus*, et procidentes adoraverunt eum; et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham.

CAP. II.

Divinitas Verbi incarnati.

Act. 9, 20. Et continuo in synagogis *prædicabat Jesum, quoniam hic est Filius Dei.*

Apoc. 5, 12. Dignus est Agnus, qui occisus est, *accipere virtutem et divinitatem, et sapientiam et fortitudinem, et honorem et gloriam, et benedictionem.*

Heb. 4, 14. Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit coelos, *Jesum, Filium Dei, teneamus confessionem.*

Rom. 1, 3. ... de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundum carnem, 4. qui prædestinatus est *Filius Dei in virtute* secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Jesu Christi Domini nostri ...

Rom. 9, 5. Quorum patres et ex quibus est Christus secundum carnem, *qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.*

Heb. 1, 4. Tanto *melior angelis* effectus, quanto differentius prae illis nomen hereditavit.

5. Cui enim dixit aliquando Angelorum: *Filius meus es tu, ego hodie genui Te?* Et rursum: Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium?

6. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrae, dicit: Et *adorent eum omnes angeli Dei.*

Mat. 1, 20. Quod enim *in ea natum est, de Spiritu Sancto est.*

Jo. 1, 1. In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, *et Deus erat Verbum.*

2. Hoc erat *in principio apud Deum.*

3. *Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil, quod factum est.*

4. In *ipso vita erat, et vita erat lux* hominum,

5. *et lux in tenebris lucet et tenebrae eam non comprehenderunt.*

Jo. 1, 18. Deum nemo vidit unquam; *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*

Mat. 11, 27. *Et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.*

Luc. 1, 32. Hic erit magnus et *Filius Altissimi* vocabitur!

35. Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque et, quod nascetur ex te Sanctum, *vocabitur Filius Dei!*

Luc. 2, 49. Quid est, quod me quaerebatis? Nesciebatis, quia in his, *quae Patris mei sunt*, oportet me esse?

Jo. 5, 17. Jesus autem respondit eis: *Pater meus* usque modo operatur, et ego operor.

18. Propterea ergo magis quaerebant eum Judaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et *Patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo.*

Phil. 2, 6. . . . Qui cum *in forma Dei* esset, non rapinam arbitratus est, *esse se aequalem Deo* . . .

Jo. 10, 33. De bono opere non lapidamus Te, sed de blasphemia, et *quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum.*

Mat. 26, 63. Et princeps sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, *si tu es Christus, Filius Dei?*

Marc. 14, 61. Rursum summus sacerdos in-

terrogabat eum et dixit ei: Tu es Christus,
Filius Dei benedicti?

62. Jesus autem dixit illi: *Ego sum;*
 et videbitis Filium hominis sedentem a
 dexteris virtutis Dei, et venientem cum
 nubibus coeli.

Luc. 22, 70. Dixerunt autem omnes: *Tu ergo*
es Filius Dei? Qui ait: *Vos dicitis, quia*
ego sum.

Mat. 3, 17. ...et ecce vox de coelis dicens:
Hic est filius meus dilectus, in quo mihi
complacui.

Mat. 17, 5. Et ecce vox de nube dicens:
Hic est filius meus dilectus, in quo mihi
bene complacui, ipsum audite!

Jo. 14, 8. Dicit ei Philippus: Domine, *ostende*
nobis Patrem, et sufficit nobis.

Jo. 14, 9. *Philippe, qui videt me, videt et Patrem.*

Jo. 15, 23. Qui me odit, et Patrem meum odit.

Jo. 10, 30. *Ego et Pater unum sumus.*

Jo. 13, 3. ...Quia *a Deo exivit, et ad Deum*
vadit.

Jo. 17, 8. ...et cognoverunt vere, *quia a te*
exivi, et crediderunt, quia tu me misisti.

Jo. 20, 17. *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.*

Heb. 5, 5. Sic et Christus non semetipsum clarificavit, ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

Heb. 5, 8. Et quidem *cum esset Filius Dei, didicit* ex iis, quae passus est, obedientiam.

Jo. 1, 32. Et testimonium perhibuit Joannes dicens: *Quia vidi Spiritum descendantem, quasi columbam de coelo, et mansit super eum.*

33. Et ego nesciebam eum, sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendantem et manentem super eum, *hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.*

34. Et ego vidi et testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.

Jo. 1, 49. Respondit ei Nathanael et ait: *Rabbi, tu es Filius Dei, tu es rex Israel.*

50. Respondit Jesus et dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis; majus his videbis.

51. Et dicit ei: amen, amen dico vobis: *videbitis caelum apertum, et Angelos Dei*

ascendentes et descendentes super Filium hominis.

Jo. 9, 35. Tu credis *in Filium Dei*?

36. Respondit ille et dixit: Quis est Domine, ut credam in eum?

37. Et dixit ei Jesus: *Et vidisti eum et qui loquitur tecum, ipse est.*

38. At ille ait: Credo Domine. Et pro-cidens adoravit eum.

Mat. 16, 15. Dicit illis Jesus: Vos autem, quem me esse dicitis?

16. Respondens Simon Petrus dixit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi!*

Mat. 27, 54. Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terrae motu, quae fiebant, timuerunt valde dicentes: *Vere, Filius Dei erat iste!*

Marc. 15, 39. Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans exspirasset, ait: *Vere, hic homo Filius Dei erat.*

Jo. 20, 28. Respondit Thomas et dixit ei: *Dominus meus et Deus meus!*

Jo. 11, 27. Ait illi (Martha): Utique, Domine, ego credidi, quia *tu es Christus, Filius Dei vivi*, qui in hunc mundum venisti!

Marc. 3, 11. Et spiritus immundi, cum illum videbant, procedebant et clamabant dicentes: *Tu es Filius Dei!*

Marc. 5, 7. Quid mihi et tibi, *Jesu, Fili Dei altissimi?* adjuro te per Deum, ne me torqueas.

Mat. 8, 29. Et ecce, clamaverunt dicentes: Quid nobis et tibi, *Jesu, Fili Dei?* Venisti huc ante tempus torquere nos?

Mat. 14, 32. . . . adoraverunt eum dicentes: *Vere, Filius Dei es!*

Gal. 4, 6. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamentem: Abba, Pater.

Jo. 6, 70. Et nos credidimus et cognovimus, quia tu es *Christus, Filius Dei!*

Jo. 8, 46. Quis ex vobis arguet me de peccato?

I. Pet. 2, 22. . . . qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus . . .

Act. 3, 14. Vos autem sanctum et justum negastis . . .

Mat. 27, 24. Innocens ego sum a sanguine *justi hujus!*

Jo. 21, 17. . . . et dixit ei: *Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te.*

Jo. 5, 36. Opera enim, quae dedit mihi Pater, ut perficiam ea, *ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me*, quia Pater misit me;

37. et qui misit me, *Pater, ipse testimonium perhibuit de me*; neque vocem ejus unquam audistis, neque speciem ejus vidistis;

38. et verbum ejus non habetis in vobis manens, quia, quem misit ille, huic vos non creditis.

Jo. 10, 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.*

38. Si autem facio, et si mihi non vultis credere, *operibus credite*, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre!

Marc. 2, 7. Quis potest *dimittere peccata, nisi solus Deus?*

Luc. 10, 21. In ipsa hora exultavit Spiritu sancto, et dixit: *Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae*, quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis. Etiam, Pater, quoniam sic placuit ante te

22. *Omnia mihi tradita sunt a Patres meo.*
Et nemo scit, quis sit Filius, nisi Pater,
et quis sit Pater, nisi Filius, et cui vo-
luerit Filius revelare.

Jo. 11, 41. . . . Jesus autem elevatis rursum
oculis dixit: *Pater, gratias ago tibi, quo-*
niam audisti me.

42. Ego autem sciebam, quia semper
me audis, sed propter populum, qui
circumstat, dixi, *ut credant, quia tu me*
misisti!

Act. 8, 37. Et respondens ait: *Credo, Filium*
Dei esse Jesum Christum!

Col. 2, 9. *Quia in ipso inhabitat omnis pleni-*
tudo divinitatis corporaliter!

I. Jo. 4, 15. Quisquis confessus fuerit, quo-
niam *Jesus est Filius Dei, Deus in eo*
manet et ipse in Deo!

CAP. III.

Regnum Ipsi.

Apoc. 11, 15. Et septimus Angelus tuba cecinit; et factae sunt voces magnae in coelo dicentes: *Factum est regnum hujus mundi, Domini nostri et Christi ejus et regnabit in saecula saeculorum. Amen.*

Apoc. 12, 10. Et audiui vocem magnam in coelo dicentem: Nunc facta est salus, et virtus et *regnum Dei nostri et potestas Christi ejus*, quia projectus est accusator fratrum nostrorum...

Apoc. 14, 14. Et vidi: et ecce nubem candidam; et super nubem sedentem *similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream*, et in manu sua falcem acutam.

Apoc. 17, 14. Hi cum Agno pugnabunt et Agnus vincet illos, *quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum*, et qui cum illo sunt, vocati, electi, et fideles.

Apoc. 19, 16. Et habet in vestimento et in femore suo scriptum: *Rex regum, et Dominus dominantium.*

Apoc. 19, 11. . . . vocabatur: Fidelis et Verax et cum *justitia* judicat et pugnat.

Apoc. 1, 5. . . . a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum et *princeps regum terrae* . . .

Apoc. 19, 15. Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut *in ipso percutiat gentes*. Et *ipse reget eas in virga ferrea*; et ipse calcatur torcular vini furoris irae Dei omnipotentis.

Heb. 1, 8. Ad Filium autem: *Thronus tuus Deus in seaculum saeculi: virga aequitatis, virga regni tui.*

Mat. 2, 2. Ubi est, qui natus est, *rex Judaeorum*? Vidimus enim stellam ejus in oriente, et venimus adorare eum.

Mat. 2, 6. Ex te enim exiet *dux, qui regat populum meum Israel.*

Luc. 1, 32. . . . et dabit illi Dominus Deus *sedem David, patris ejus; et regnabit in domo Jacob in aeternum.*

Jo. 18, 33. Et dixit ei (Pilatus): *Tu es rex Judaeorum?* —

36. Respondit Jesus: *Regnum meum non est de hoc mundo.*

Luc. 11, 20. Porro si in digito Dei ejicio daemonia, *profecto pervenit in vos regnum Dei.*

Act. 1, 6. Domine, si in tempore hoc *restitues regnum Israel?*

Jo. 12, 15. ... ecce, *rex tuus* venit sedens super pullum asinae.

Jo. 12, 13. ... et clamabant: *Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israel.*

Marc. 15, 26. Et erat titulus causae ejus inscriptus: *Rex Judaeorum.*

Jo. 19, 19. Erat autem scriptum: *Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum.*

Mat. 27, 37. *Hic est Jesus, Rex Judaeorum!*

Jo. 19, 21. Dicebant ergo Pilato pontifices Judaeorum: Noli scribere: *Rex Judaeorum*; sed quia ipse dixit: *Rex sum Judaeorum.*

Jo. 19, 14. ... et dixit Judaeis: *Ecce, rex vester!*

Jo. 6, 15. Jesus ergo, cum cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, *et facerent eum regem*, fugit iterum in montem ipse solus.

Marc. 15, 2. Et interrogabat eum Pilatus:
Tu es rex Judaeorum? At ille respondens
 ait illi: *Tu dicis.*

Jo. 18, 37. Dixit itaque ei Pilatus: *Ergo rex
 es tu?* Respondit Jesus: *Tu dicis, quia
 rex sum ego!*

Marc. 15, 9. Vultis, *dimittam vobis regem
 Judaeorum?*

Marc. 15, 17. Et induunt eum purpura et im-
 ponunt ei plectentes spineam coronam.

Jo. 19, 5. *Exivit ergo Jesus portans coronam
 spineam et purpureum vestimentum.*

Mat. 27, 29. Et genu flexo ante eum illu-
 debant ei dicentes: *Ave, rex Judaeorum!*

Jo. 19, 3. *Ave, rex Judaeorum!*

Marc. 15, 18. Et coeperunt salutare eum: *Ave,
 rex Judaeorum!*

Marc. 15, 23. *Christus, rex Israel,* descendat
 nunc de cruce, ut videamus, et credamus.

Apoc. 1, 6. ... *et fecit nos regnum et sacer-
 dotes Deo et Patri suo...*

Col. 1, 13. Qui eripuit nos de potestate tene-
 brarum, et transtulit in *regnum Filii di-
 lectionis suae...*

Mat. 20, 21. Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram *in regno tuo.*

Rom. 5, 21. . . . sicut regnavit peccatum in mortem, ita et *gratia regnet per justitiam in vitam aeternam*, per Jesum Christum, Dominum nostrum.

Rom. 5, 17. Si enim unius delicto *mors regnavit per unum*, multo magis abundantiam gratiae et donationis et justitiae accipientes, *in vita regnabunt per unum Jesum Christum.*

II. Pet. 1, 11. Sic enim abundanter ministrabitur vobis *introitus in aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.*

Gal. 5, 21. . . . quoniam, qui talia agunt, *regnum Dei non consequentur . . .*

Mat. 25, 32. . . . et *congregabuntur ante eum omnes gentes*, et separabit eos ab invicem, sicut segregat pastor oves ab hoedis . . .

Apoc. 1, 8. Ego Joannes frater vester et particeps in tribulatione *et regno et patientia in Christo Jesu . . .*

Heb. 10, 12. . . . *in sempiternum sedet in dextera Dei;*

13. de cetero expectans, donec ponantur
inimici ejus scabellum pedum ejus.

Heb. 12, 28. Itaque *regnum immobile susci-*
pientes, habemus gratiam, per quam ser-
viamus placentes Deo, cum metu et
reverentia.

I. Pet. 4, 11. ... ut in omnibus honorificetur
Deus per Jesum Christum, *cui est gloria*
et imperium in saecula saeculorum. Amen.

I. Cor. 15, 25. *Oportet autem illum regnare,*
donec ponat omnes inimicos sub pe-
dibus ejus.

26. Novissima autem *inimica destruetur*
mors; omnia enim subjecit sub pedibus
ejus.

Mat. 25, 34. ... Tunc *dicet rex his*, qui a
dextris ejus erunt: Venite, benedicti
Patris mei, *possidete paratum vobis re-*
gnum a constitutione mundi...

Apoc. 5, 10. ... et fecisti nos Deo nostro
regnum et sacerdotes, et regnabimus super
terram.

I. Cor. 15, 24. Deinde finis, cum tradiderit
regnum Deo et Patri, cum evacuaverit

omnem principatum, et potestatem et virtutem.

Apoc. 20, 6. ...sederunt sacerdotes Dei et Christi, et *regnabunt cum illo mille annis.*

Apoc. 20, 4. ...et *vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis.*

Jo. 1, 49. Rabbi, tū es Filius Dei, *tu es Rex Israel!*

Luc. 1, 23. Et regni ejus non erit finis!

CAP. IV.

Potestas universalis.

a.

Act. 4, 11. Hic est lapis, qui reprobatus est
a vobis aedificantibus, *qui factus est in
caput anguli.*

I. Cor. 3, 11. *Fundamentum enim aliud nemo
potest ponere praeter id, quod positum
est, quod est Jesus Christus.*

Eph. 2, 10. ... Ipso summo *angulari lapide*
Christo Jesu,
21. *in quo omnis aedificatio constructa
crescit in templum sanctum in Domino.*

Col. 3, 11. *Sed omnia et in omnibus Christus!*

Heb. 13, 8. Jesus Christus, *heri et hodie, ipse
et in saecula.*

Col. 1, 18. Et ipse est *caput corporis ecclesiae,
qui est principium, primogenitus ex mor-
tuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens;*

Apoc. 21, 6. Et dixit mihi: Factum est, *Ego sum Alpha et Omega; initium et finis.*

Apoc. 22, 13. *Ego sum Alpha et Omega; primus et novissimus, principium et finis.*

Apoc. 1, 17. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tamquam mortuus. Et posuit dexteram super me dicens: Noli timere: *Ego sum primus et novissimus, . . .*

Col. 1, 17. *Et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant!*

Col. 1, 16. *Quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et in ipso creata sunt!*

Eph. 1, 10. . . . *instaurare omnia in Christo, quae in coelis, et quae in terra sunt, in ipso.*

Apoc. 3, 14. Haec dicit Amen, testis fidelis et verus, *qui est principium creaturae Dei . . .*

Apoc. 2, 8. . . . Haec dicit *primus et novissimus*, qui fuit mortuus et vivit.

Mat. 11, 27. *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo.*

Jo. 16, 15. Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt.

Jo. 1, 3. *Omnia per ipsum facta sunt*, et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

Act. 10, 36. Verbum misit Deus filiis Israel, annuntians pacem per Jesum Christum (*hic est omnium Dominus.*)

Act. 2, 36. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, *quia et Dominum eum et Christum fecit Deus*, hunc Jesum, quem vos crucifixistis.

Heb. 12, 24. . . . et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem, quam Abel.

Eph. 3, 15. . . . *ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur.*

Eph. 4, 10. Qui descendit, ipse est, et qui ascendit super omnes coelos, ut impleret omnia.

Rom. 8, 29. Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Col. 1, 19. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare . . .

Jo. 1, 16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus . . .

b.

Apoc. 9, 5. Qui dixit: Quis es, Domine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu persequeris: *durum est tibi contra stimulum calcitrare.*

Apoc. 21, 5. Et dixit, qui sedebat in throno: *ecce, nova facio omnia...*

Apoc. 1, 14. ...*caput ejus et capilli erant candidi tamquam lana alba, et tamquam nix; et oculi ejus tamquam flamma ignis;*

Apoc. 1, 15. ...*et pedes ejus similes auri-chalco, sicut in camino ardenti; et vox illius tamquam vox aquarum multarum;...*

Apoc. 2, 18. Haec dicit Filius Dei, qui habet *oculos tamquam flammam ignis.*

Mat. 28, 18. *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra!*

Jo. 10, 17. Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.

18. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso, et potestatem habeo ponendi

eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam; hoc mandatum accepi a Patre meo.

Jo. 5, 19. Amen, amen dico vobis: non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: *quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit.*

20. Pater enim diligit Filium, et *omnia demonstrat ei, quae ipse facit, et maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini.*

Jo. 17, 2. Sicut *dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam aeternam.*

Jo. 3, 35. Pater diligit Filium, et *omnia dedit in manu ejus!*

Marc. 1, 7. Venit fortior me post me, *cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus.*

Mat. 3, 11. . . . *fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare.*

Luc. 11, 21. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quae possidet.*

22. Si autem *fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet,*

in quibus confidebat, et spolia ejus distribuet.

Mat. 8, 26. Tunc surgens *imperavit ventis et mari*; et facta et tranquillitas magna.

Mat. 8, 27. Porro *homines mirati sunt* dicentes: *Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?*

Jo. 9, 32. *A saeculo non est auditum, quia quis aperuit oculos caeci nati.*

Mat. 14, 36. Et quicumque *tetigerunt* (fimbriam vestimenti ejus), salvi facti sunt.

Mat. 9, 6. Ut autem sciatis, quia Filius hominis *habet potestatem in terra dimittendi peccata*, tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam.

7. Et surrexit et abiit in domum suam.

Mat. 9, 8. Videntes autem turbae timuerunt, et *glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*

Mat. 7, 28. Et factum est, cum consummasset Jesus verba haec, *admirabantur turbae super doctrina ejus.*

29. Erat enim *docens eos sicut potestatem habens.*

Luc. 10, 18. *Videbam satanam sicut fulgur de coelo cadentem.*

Mat. 10, 1. . . . *Dedit illis potestatem spirituum immundorum*, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.

II. Thes. 2, 8. Et tunc revelabitur ille iniquus, quem *Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*, et destruet illustratione adventus sui . . .

Jo. 5, 28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem *Filii Dei*,

29. et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.

Jo. 18, 4. Jesus itaque, *sciens omnia*, quae ventura erant super eum, processit et dixit eis: *Quem quaeritis?*

Jo. 18, 6. Ut ergo dixit eis: *Ego sum* — abierunt retrorsum et ceciderunt in terram.

Mat. 26, 53. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo *plus quam duodecim legiones angelorum?* . . .

C.

Jo. 5, 22. Neque enim Pater judicat quemquam, sed *omne judicium dedit Filio*,

23. ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem: qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui misit illum.

Jo. 5, 27. *Et potestatem dedit ei judicium facere*, quia Filius hominis est.

Jo. 5, 30. Non possum ego a me ipso facere quidquam. Sicut audio, judico, et *judicium meum justum est*, quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.

Act. 10, 42. Et praecepit nobis praedicare populo, et testificare, quia ipse est, *qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum*.

Rom. 14, 10. *Omnes enim stabimus ante tribunal Christi*.

Apoc. 3, 7. Haec dicit Sanctus et Verus, *qui habet clavem David*; qui aperit et nemo claudit; claudit et nemo aperit.

Apoc. 1, 18. . . . et fui mortuus, et ecce sum

vivens in saecula saeculorum, et *habeo claves mortis et inferni*.

Apoc. 5, 5. Ne flevieris; *ecce vicit leo de tribu Juda*, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus.

Phil. 3, 21. . . . secundum operationem, qua etiam possit *subjicere sibi omnia!*

Heb. 3, 6. Christus vere *tamquam filius in domo sua*; quae domus sumus nos, si fiduciam et gloriam spei usque ad finem firmam retineamus.

I. Pet. 3, 22. . . . qui est in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitae aeternae heredes *efficeremur: profectus in coelum*, subjectis sibi Angelis, et *potestatibus et virtutibus*.

Col. 2, 10. Et estis in illo repleti, *qui est caput omnis principatus et potestatis* . . .

Col. 2, 15. et *exspolians principatus* et potestates traduxit confidenter, *palam triumphans illos in semetipso*.

I. Pet. 3, 19. . . . in quo (spiritu) et his, qui in carcere erant, *spiritibus* veniens praedicavit: . . .

Eph. 1, 18. . . . ut sciatis, quae sit spes vocationis ejus, et *quae divitiae gloriae haereditatis ejus* in sanctis,

19. et quae sit *supereminens magnitudo virtutis ejus in nos*, qui credimus secundum operationem *potentiae virtutis ejus*,

20. quam operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et *constituens ad dexteram suam in coelestibus*,

21. *super omnem principatum* et potestatem et virtutem et dominationem, quod nominatur non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro.

22. Et *omnia subjecit sub pedibus ejus*; et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam,

23. quae est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui *omnia in omnibus adimpletur*.

I. Cor. 15, 26. 27. Cum autem dicat: *Omnia subjecta sunt ei*; sine dubio praeter eum, qui subjecit ei omnia.

28. Cum autem *subjecta fuerint illi omnia*: tunc et ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia, ut sit *Deus omnia in omnibus*.

Apoc. 6, 16, 17. Et dicunt montibus et petris:
Cadite super nos et abscondite nos a
facie sedentis super thronum et ab ira Agni,
quoniam venit dies magnus irae ipsorum;
et quis poterit stare?

I. Cor. 15, 57. Deo autem gratias, qui *dedit nobis*
victoriam per Dominum nostrum Jesum
Christum.

Jo. 12, 32. Et ego, si exaltatus fuero a terra,
omnia traham ad me ipsum.

Heb. 1, 10. Et: *tu in principio, domine, terram*
fundasti, et opera manuum tuarum sunt
coeli.

11. *Ipsi peribunt, tu autem permanebis!*

Mat. 28, 20. ... et ecce, *ego vobiscum sum om-*
nibus diebus usque ad consummationem
saeculi.

Luc. 21, 23. Coelum et terra transibunt, *verba*
autem mea non transibunt.

CAP. V.

Gloria et maiestas Domini nostri Jesu Christi.

a.

I. Cor. 2, 10. . . . Nobis autem *revelavit Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

II. Pet. 1, 16. . . . *speculatores facti illius magnitudinis!*

Jo. 1, 14. . . . *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis!*

Col. 1, 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae!*

II. Cor. 4, 4. . . . *ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi, qui est imago Dei.*

II. Cor. 4, 6. . . . *quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit*

in cordibus nostris ad illuminationem
scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu.

Heb. 1, 3. Qui cum sit *splendor gloriae et
figura substantiae ejus*, portansque omnia
verbo virtutis suae, purgationem pecca-
torum faciens, *sedet ad dexteram maie-
statis in excelsis!*

Heb. 2, 9. Videmus Jesum propter passionem
mortis, *gloria et honore coronatum!*

Phil. 2, 9. Propter quod et *Deus exultavit*
illum et *donavit illi nomen*, quod est super
omne nomen,

10. ut in nomine Jesu omne genu flectatur
coelestium, terrestrium et infernorum,

11. et omnis lingua confiteatur, quia
Dominus Jesus Christus *in gloria est Dei
Patris.*

I. Pet. 2, 4. Ad quem accedentes lapidem
vivum, ab hominibus quidem reprobatum,
a Deo autem electum et *honorificatum: . . .*

I. Pet. 2, 6. Propter quod continet scriptura:
Ecce, pono in Sion *lapidem summum an-
gulare, electum, pretiosum:* et qui credi-
derit in eum, non confundetur.

- I. Cor. 8, 6. . . . et unus Dominus Jesus Christus,
per quem omnia, et nos per ipsum.
- I. Cor. 3, 23. . . . vos autem Christi: Christus
autem Dei.
- I. Cor. 15, 23. Unusquisque autem suo ordine:
primitiae Christus; deinde ii, qui sunt
Christi, qui in adventu ejus crediderunt.
- Heb. 3, 3. *Amplioris enim gloriae* iste prae
Moyse dignus est habitus, quanto am-
pliores honorem habet domus, qui fabri-
cavit illam.
- Heb. 5, 6. . . . Quemadmodum et in alio loco
dicit: *Tu es sacerdos in aeternum*, secun-
dum ordinem Melchisedech.
- Heb. 7, 22. . . . in tantum *melioris testamenti*
sponsor factus est Jesus.
- Heb. 7, 24. . . . hic autem, eo quod maneat in
aeternum, *sempiternum habet sacerdotium*.
- Heb. 7, 26. Talis enim decebat, ut nobis esset
pontifex: sanctus, innocens, impollutus,
segregatus a peccatoribus et *excelsior coelis*
factus . . .
- Heb. 12, 2. . . . aspicientes in auctorem fidei
et *consummatorem* Jesum, qui proposito

sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in *dextera Dei sedet*.

Heb. 13, 20. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis *pastorem magnum* ovium, in sanguine testamenti aeterni, dominum nostrum Jesum Christum...

Heb. 13, 21. ...faciens in vobis, quod placeat coram se per Jesum Christum, *cui est gloria in saecula saeculorum*. Amen.

II. Cor. 1, 20. *Quotquot enim promissiones Dei sunt*, in illo Est, ideo et per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.

Act. 2, 22. Viri Israelitae, audite verba haec: Jesum Nazarenum, virum approbatum a Deo in vobis *virtutibus et prodigiis et signis*, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut et vos scitis:...

II. Pet. 1, 17. Accipiens enim a Deo Patre *honorem et gloriam*, voce delapsa ad eum hujusmodi a *magnifica gloria*: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipsum audite.

18. Et hanc vocem nos audivimus de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.

II. Cor. 1, 19. Dei enim Filius, Jesus Christus, qui in vobis per nos praedicatus est, per me, et Silvanum, et Timotheum, non fuit: Est et Non: sed Est in illo fuit.

Jo. 1, 51. Et dicit ei: amen, amen dico vobis: *Videbitis coelum apertum*, et Angelos Dei ascendentes et descendentes supra Filium hominis.

Mat. 3, 16. *Aperti sunt ei coeli*; et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam et venientem super se.

b.

Jo. 8, 54. Respondit Jesus: si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est; est *Pater meus, qui glorificat me*, quem vos dicitis, quia Deus vester est!

Jo. 12, 28. Pater, clarifica nomen tuum! Venit ergo vox de coelo: et *clarificavi, et iterum clarificabo*.

30. Respondit Jesus et dixit: non propter me haec vox venit, sed propter vos.

Jo. 17, 1. Pater, venit hora: *clarifica Filium tuum*, ut Filius tuus clarificet te.

Jo. 17, 5. Et nunc clarifica me, tu Pater, apud te ipsum, *claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te.*

Jo. 17, 10. Et mea omnia tua sunt, et tua mea sunt, et *clarificatus sum in eis!*

Act. 7, 55. Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intendens in coelum, *vidit gloriam Dei, et Jesum stantem a dexteris Dei et ait: Ecce, video coelos apertos et Filium hominis stantem a dexteris Dei.*

Apoc. 5, 6. Et vidi . . . Agnum stantem, tamquam occisum, habentem *cornua septem et oculos septem*, qui sunt septem Spiritus Dei, missi in omnem terram.

Apoc. 1, 13. . . . et in medio septem candelabrorum aureorum *similem filio hominis*, vestitum podere, et praecinctum ad mammillas zona aurea . . .

Apoc. 1, 16. . . . et habebat *in dextera sua stellas septem*; et de ore ejus gladius utraque parte acutus exhibat; et *facies ejus sicut sol lucet in virtute sua.*

Apoc. 22, 16. Ego sum radix et genus David, *stella splendida et matutina.*

Apoc. 21, 23. Et civitas non eget sole, neque

luna, ut luceant in ea; nam claritas Dei illuminavit eam, et *lucerna ejus est Agnus.*

Mat. 17, 2. Et *resplenduit facies ejus sicut sol,* vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.

Apoc. 19, 7. Gaudeamus et exulemus, et demus gloriam ei, *quia venerunt nuptiae Agni,* et uxor ejus praeparavit se.

Mat. 9, 33. Et miratae sunt turbae dicentes: *Nunquam apparuit sic in Israel.*

Mat. 22, 23. Et audientes *turbae mirabantur* in doctrina ejus.

Jo. 7, 46. Responderunt ministri: *Nunquam sic locutus est homo,* sicut hic homo.

Jo. 7, 40. Ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones ejus, dicebant: *Hic est vere Propheta.*

Jo. 6, 14. Illi ergo homines, cum vidissent, quod Jesus fecerat signum, dicebant: *Quia hic est vere Propheta,* qui venturus est in mundum!

Mat. 22, 46. Et *nemo poterat ei respondere verbum;* neque ausus fuit quisquam ex illo die eum amplius interrogare.

Jo. 8, 56. Abraham, pater vester, *exultavit, ut videret diem meum*: vidit et gavisus est.

57. Dixerunt ergo Judaei ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti?

Jo. 11, 4. Audiens autem Jesus dixit eis: Infirmitas haec non est ad mortem, *sed pro gloria Dei*, ut glorificetur Filius Dei per eam!

Jo. 2, 11. Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilaeae, et *manifestavit gloriam suam*; et crediderunt in eum discipuli ejus.

Act. 3, 13. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum *glorificavit Filium suum Jesum*, quem vos negastis ante faciem Pilati judicante illo dimitti.

Jud. 4. . . . et *solum Dominatorem* nostrum Jesum Christum negantes!

I. Cor. 2, 8. . . . nunquam *Dominum gloriae* crucifixissent.

Act. 2, 32. Hunc *Jesum resuscitavit Deus*, cujus omnes nos testes sumus.

Act. 2, 24. Quem *Deus suscitavit*, solutis do-

loribus inferni, juxta quod impossibile erat teneri illum ab eo.

I. Pet. 1, 21. ... qui *suscitavit eum* a mortuis, et *dedit ei gloriam*, ut fides vestra et spes esset in Deo ...

Act. 2, 33. Dextera igitur Dei *exaltatus*, et promissione Spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, et auditis.

Act. 19, 17. Et cecidit timor super omnes illos, et *magnificabatur nomen Domini Jesu!*

C.

Apoc. 1, 7. Ecce, venit cum nubibus, et *videbit eum omnis oculus*, et qui eum pupugerunt.

II. Cor. 1, 14. ... gloria vestra sumus, sicut et vos nostra, *in die Domini nostri Jesu Christi.*

I. Thes. 3, 13. ... in *adventu Domini nostri Jesu Christi* cum omnibus sanctis ejus.

Tit. 2, 13. ... expectantes beatam spem et *adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi* ...

II. Thes. 1, 7. . . . in revelatione Domini Jesu
de *coelo cum angelis virtutis ejus*,

8. in flamma ignis dantis vindictam iis,
qui non noverunt Deum, et qui non obe-
diunt Evangelio Domini nostri Christi;

I. Thes. 1, 10. . . . *expectare Filium ejus de
coelis* (quem suscitavit ex mortuis) Jesum,
qui eripuit nos ab ira ventura.

I. Pet. 4, 13. . . . communicantes Christi pas-
sionibus gaudete, ut et *in revelatione glo-
riae ejus* gaudeatis exultantes.

I. Pet. 5, 1. Seniores ergo, qui in vobis sunt,
obsecro, consenior et testis Christi pas-
sionum, qui et ejus, quae *in futuro reve-
landa est, gloriae* communicator.

Mat. 26, 64. Dicit illi Jesus: Tu dixisti; verum-
tamen dico vobis: amodo videbitis *Filium
hominis sedentem a dexteris virtutis Dei*,
et venientem in nubibus coeli . . .

Mat. 16, 27. Filius enim hominis *venturus est
in gloria Patris sui* cum angelis suis, et
tunc reddet unicuique secundum opera
ejus.

Mat. 24, 30. Et tunc parebit signum Filii
hominis in coelo; et tunc plangent omnes

tribus terrae, et videbunt Filium hominis
*venientem in nubibus coeli cum virtute multa
 et maiestate!*

Mat. 15, 31. Cum autem venerit Filius ho-
 minis *in maiestate sua*, et omnes angeli
 cum eo, tunc sedebit super *sedem maie-
 statis suae* . . .

II. Thes. 1, 12. . . . *ut clarificetur nomen Domini
 nostri Jesu Christi in vobis*, et vos in illo
 secundum gratiam Dei nostri, et Domini
 nostri Jesu Christi.

II. Cor. 5, 10. Omnes enim nos manifestari
 oportet *ante tribunal Christi!*

Mat. 25, 41. . . . *Discedite a me maledicti in
 ignem aeternum*, qui paratus est diabolo
 et angelis ejus . . .

II. Thes. 1, 9. . . . qui poenas dabunt in in-
 teritu aeternas *a facie Domini, et a gloria
 virtutis ejus*,

10. *cum venerit glorificari in sanctis suis,
 et admirabilis fieri in omnibus*, qui credi-
 derunt, . . .

Apoc. 3, 21. Qui vicerit, dabo ei sedere me-
 cum in throno meo: sicut et ego vici,
 et *sedi cum Patre meo in throno ejus*.

Jud. 20. *Soli Deo Salvatori nostro, per Jesum Christum Dominum nostrum, gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne saeculum et nunc, et in omnia saecula saeculorum. Amen.*

Apoc. 5, 13. Et omnem creaturam, quae in coelo est, et super terram et sub terra, et quae sunt in mari, et quae in eo, omnes audiui dicentes: Sedit in throno, et Agno: *Benedictio et honor, gloria et potestas in saecula saeculorum.*

Apoc. 7, 10. Et clamabant voce magna dicentes: *Salus Deo nostro, qui sedet super thronum et Agno.*

Act. 1, 9. Et cum haec dixisset, *videntibus illis, elevatus est;* et nubes suscepit eum ab oculis eorum.

Act. 1, 10. Cumque intuerentur *in coelum euntem illum,* ecce, duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis:...

Act. 1, 11. Hic Jesus, qui assumptus est a vobis *in coelum, sic veniet,* quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.

Marc. 16, 19. Et Dominus quidem Jesus, post-

quam locutus est eis, *assumptus est in coelum et sedet a dextris Dei.*

II. Pet. 3, 18. *Ipsi gloria et nunc, et in diem aeternitatis. Amen.*

Apoc. 1, 6. *Ipsi gloria et imperium in saecula saeculorum. Amen.*

I. Pet. 5, 10. ... qui vocavit nos *in aeternam suam gloriam* in Christo Jesu...

Col. 3, 1. Quae sursum sunt, quaerite, *ubi Christus est in dextera Dei sedens!*

Act. 7, 58. Et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem: *Domine Jesu, suscipe spiritum meum!*

CAP. VI.

In Ipso omnis salus et gratia.

Eph. 3, 8. Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia haec: in *gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi...*

Jo. 1, 16. Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et *gratiam pro gratia.*

17. Quia lex per Moysen data est, *gratia et veritas* per Jesum Christum facta est.

Rom. 1, 16. Non enim erubesco Evangelium. Virtus enim Dei est *in salutem omni credenti*, Judaeo primum et Graeco.

II. Cor. 1, 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, *Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis.*

Rom. 8, 32. Qui etiam *proprio Filio suo non pepercit*, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quo modo non etiam cum illo omnia nobis donavit?

Jo. 3, 17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed *ut salvetur mundus per ipsum.*

18. Qui credit in eum, non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.

Act. 4, 12. Non est in *alio aliquo salus.* Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri!

Act. 13, 47. Posui te in lucem gentium, *ut sis in salutem usque ad extremum terrae.*

Mat. 12, 21. Et in nomine ejus *gentes sperabunt.*

Rom. 10, 9. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, et in corde tuo credideris, quod Deus illum suscitavit a mortuis, *salvus eris.*

II. Pet. 1, 1. . . . qui coaequalem nobiscum sortiti sunt fidem in justitia Dei nostri et *Salvatoris Jesu Christi.*

Jud. 21. . . . expectantes *misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam aeternam!*

- I. Thes. 5, 9. ... quoniam non posuit nos Deus in iram, sed *in acquisitionem salutis* per Dominum nostrum Jesum Christum ...
- Jo. 12, 47. Non enim veni, ut iudicem mundum, sed ut *salvificem mundum*.
- I. Tim. 1, 15. Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod *Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere*, quorum primus ego sum.
- Mat. 1, 21. Pariet enim filium et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim *salvum faciet populum suum* a peccatis eorum.
- Luc. 2, 11. Natus est vobis hodie *Salvator*, qui est Christus Dominus, in civitate David.
- Act. 10, 38. Jesum a Nazareth: quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto et virtute, qui *pertransiit benefaciendo et sanando omnes oppressos* a diabolo, quoniam Deus erat cum illo.
- Jo. 10, 11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor *animam suam dat pro ovibus suis*.
- Gal. 1, 3. *Gratia vobis et pax* a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo,

4. qui *dedit semetipsum pro peccatis nostris*,
ut eriperet nos de praesenti saeculo ne-
quam, secundum voluntatem Dei et Patris
nostri . . .

Phil. 2, 8. Humiliavit semetipsum factus *obe-*
diens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Tit. 2, 14. . . . qui dedit semetipsum pro nobis,
ut nos *redimeret ab omni iniquitate*, et mun-
daret sibi populum acceptabilem, secta-
torem bonorum operum . . .

Rom. 5, 9. . . . Christus *pro nobis mortuus est!*

Col. 1, 14. In quo habemus *redemptionem per*
sanguinem ejus, remissionem peccatorum;

Eph. 1, 7. In quo habemus *redemptionem per*
sanguinem ejus, remissionem peccatorum
secundum divitias gratiae ejus, quae su-
perabundavit in nobis in omni sapientia
et prudentia . . .

I. Cor. 5, 7. Etenim Pascha nostrum *immo-*
latus est Christus!

Apoc. 1, 5. . . . qui dilexit nos, et *lavit nos a*
peccatis nostris in sanguine suo . . .

Eph. 5, 2. Et ambulate in dilectione, sicut
et *Christus dilexit nos, et tradidit semetip-*

sum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

Gal. 3, 13. *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est: Maledictus omnis, qui pendet in ligno;*

II. Cor. 5, 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.*

II. Cor. 5, 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis;*

19. quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, et posuit in nobis verbum reconciliationis.

I. Cor. 15, 3. *... quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas...*

Act. 5, 31. *Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam poenitentiam Israeli et remissionem peccatorum.*

Act. 2, 38. *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum Spiritus sancti.*

- I. Pet. 3, 18. . . . quia et Christus semel pro
peccatis nostris mortuus est, justus pro in-
 justis, ut nos offerret Deo, mortificatus
 quidem carne, vivificatus autem spiritu.
- I. Pet. 2, 21. . . . et *Christus passus est pro*
nobis, vobis relinquens exemplum, ut se-
 quamini vestigia ejus . . .
- I. Pet. 2, 24. . . . qui *peccata nostra ipse per-*
tulit in corpore suo super lignum, ut
 peccatis mortui, justitiae vivamus, *cujus*
livore sanati estis.
- Heb. 10, 10. In qua voluntate *sanctificati su-*
mus per oblationem corporis Jesu Christi
 semel.
- Heb. 13, 12. Propter quod et Jesus, ut *sancti-*
ficaret per suum sanguinem populum, extra
 portam passus est.
- Heb. 9, 11. Christus autem, assistens pontifex
 futurorum bonorum, per amplius et per-
 perfectius tabernaculum non manu factum,
 id est, non hujus creationis:
12. neque per sanguinem hircorum et
 vitulorum, sed per *proprium sanguinem*
 introivit semel in Sancta, *aeterna redem-*
ptione inventa.

Heb. 9, 14. . . . quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, *emundabit conscientiam nostram* ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi?

Heb. 9, 15. Et ideo *novi testamenti mediator* est, ut morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, *repromissionem* accipiant, qui vocati sunt aeternae hereditatis.

Heb. 9, 28. . . . sic et Christus semel oblatus est ad *multorum exhaustiendae peccata*: secundo sine peccato apparebit expectantibus se in salutem.

Heb. 5, 9. . . . et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi, *causa salutis aeternae* . . .

Heb. 4, 15. Non enim habemus pontificem, qui non possit *compati infirmitatibus nostris*; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

Rom. 4, 24. Qui suscitavit Jesum Christum Dominum nostrum a mortuis,
25. qui traditus est *propter delicta no-*

stra, et resurrexit propter justificationem nostram.

Act. 10, 43. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, *remissionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.*

Luc. 24, 46. Et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic *oportebat Christum pati,* et resurgere a mortuis tertia die,

47. et praedicari *in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes,* incipientibus ab Jerosolyma.

I. Cor. 6, 20. *Empti enim estis pretio magno.*

I. Pet. 1, 18. Scientes, quod non corruptibilibus, auro vel argento, *redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis,*

19. sed *pretioso sanguine,* quasi agni immaculati Christi, et incontaminati;

I. Jo. 1, 7. ... et sanguis Jesu Christi, Filii ejus, *mundat nos ab omni peccato.*

Apoc. 7, 14. ... et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas *in sanguine Agni.*

Apoc. 22, 14. Beati, qui *lavant stolas suas in sanguine Agni,* ut sit potestas eorum in

ligno vitae, et per portas intrent in civitatem.

II. Tim. 2, 10. Ideo omnia sustineo propter electos, ut et ipsi *salutem consequantur*, quae est in *Christo Jesu, cum gloria coelesti!*

Apoc. 5, 9. Et cantabant canticum novum dicentes: Dignus es, Domine, accipere librum et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et *redemisti nos Deo in sanguine tuo* ex omni tribu et lingua, et populo et natione.

II. Thes. 2, 15. Ipse autem Dominus noster Jesus Christus, et Deus et Pater noster, qui *dilexit nos et dedit consolationem aeternam*, et spem bonam in gratia...

I. Pet. 1, 3. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui secundum misericordiam suam *magnam regeneravit nos in spem vivam*, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis...

Apoc. 1, 4. *Gratia vobis et pax* ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est.

II. Cor. 8, 9. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos

egenus factus est, cum esset dives, ut
illius inopia vos divites essetis.

I. Cor. 1, 3. Gratias ago Deo meo semper pro
vobis in gratia Dei, *quae data est vobis
in Christo Jesu,*

5. quod *in omnibus divites facti estis in
illo,* in omni verbo, et in omni scientia...

I. Cor. 1, 7. ... ita ut *nihil vobis desit in ulla
gratia,* expectantibus revelationem Domini nostri Jesu Christi,

8. qui et confirmabit vos usque in finem,
sine crimine in die adventus Domini nostri Jesu Christi.

Rom. 8, 1. *Nihil ergo nunc damnationis* est iis,
qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.

Rom. 5, 10. ... *reconciliati* sumus Deo per
mortem Filii ejus...

Rom. 5, 11. ... *gloriamur* in Deo per Dominum nostrum Jesum Christum, *per quem
nunc reconciliationem* accepimus.

Rom. 5, 9. ... *justificati in sanguine ipsius,*
salvi erimus ab ira per ipsum.

Tit. 3, 5. ... non ex operibus justitiae, quae
fecimus nos, sed *secundum suam miseri-*

cordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti,

6. *quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum,*

7. *ut justificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae.*

I. Cor. 6, 11. Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed *justificati* estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.

Rom. 3, 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quae est in Christo Jesu,*

25. *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, —*

Rom. 5, 1. *Justificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum,*

2. *per quem et habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, et gloriamur in spe gloriae filiorum Dei.*

Rom. 3, 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes, qui credunt in eum, non enim est distinctio.*

I. Cor. 1, 30. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo et justitia, et *sanctificatio et redemptio* . . .

Rom. 1, 5, . . . per quem accepimus *gratiam*, et apostolatam ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine ejus . . .

Rom. 10, 4. Finis enim legis, Christus, *ad justitiam omni credenti.*

I. Cor, 12, 3. Ideo notum vobis facio, quod nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. Et *nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto.*

Jo. 15, 4. Manete in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; *sic nec vos, nisi in me manseritis.*

5. Ego sum vitis, vos palmites; qui *manet in me et ego in eo*, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.

Apoc. 22, 21. *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. Amen.*

CAP. VII.

Dominus Jesus via, veritas et vita nostra.

a.

Jo. 17, 3. Haec est autem *vita aeterna*: ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Jesum Christum.

Mat. 3, 11. Ipse vos baptizabit *Spiritu sancto et igni*.

Col. 2, 13. Et vos, cum mortui essetis in delictis, et praeputio carnis vestrae, *convivificavit* cum illo, donans vobis omnia delicta:

II. Cor. 5, 17. Si qua ergo in Christo *nova creatura*, vetera transierunt: ecce, *facta sunt omnia nova!*

Heb. 2, 18. In eo enim, in quo passus est ipse et tentatus, *potens est*, et eis, qui tentantur, *auxiliari*.



Heb. 7, 25. Unde et *salvare in perpetuum potest* accedentes per semetipsum ad Deum: *semper vivens ad interpellandum pro nobis.*

Rom. 8, 34. Christus Jesus, qui mortuus est, immo qui et resurrexit, qui est ad dexteram Dei, *qui etiam interpellat pro nobis.*

Gal. 5, 6. Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, *sed fides, quae per caritatem operatur.*

Act. 9, 34. Et ait illi Petrus: Aenea, *sanate Dominus Jesus Christus:* surge, et sterne tibi! Et continuo surrexit.

Act. 4, 10. . . . notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israel: Quia in nomine *Domini nostri Jesu Christi* Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc *iste astat coram vobis sanus.*

Act. 3, 16. Et in fide nominis ejus hunc, quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus, et fides, quae per eum est, *dedit integram sanctitatem istam in conspectu omnium vestrum.*

Act. 3, 6. In nomine Jesu Christi Nazareni *surge et ambula!*

Mat. 9, 20. Et ecce, mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et *tetigit fimbriam* vestimenti ejus.

21. Dicebat enim intra se: si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero . . .

Et salva facta est mulier ex illa hora.

Mat. 11, 28. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et *ego reficiam vos.*

Jo. 14, 6. *Ego sum via, et veritas, et vita.*

Jo. 12, 46. *Ego lux in mundum veni*, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.

Jo. 9, 5. Quamdiu sum in mundo, *lux sum mundi.*

Jo. 8, 12. Iterum locutus est eis Jesus dicens: Ego sum lux mundi: *qui sequitur me, non ambulat in tenebris*, sed habebit lumen vitae.

Jo. 1, 4. In *Ipso vita erat*, et vita erat lux hominum.

Jo. 6, 48. *Ego sum panis vitae.*

Jo. 6, 51. Ego *sum panis* vivus, qui de coelo descendi.

Jo. 6, 35. Ego *sum panis vitae*; qui venit ad

me, non esuriet, et qui credit in me, non sitiet unquam.

Jo. 6, 52. Si quis manducaverit ex hoc pane, *vivet in aeternum*, et panis, quem ego dabo, *caro mea est pro mundi vita*.

Jo. 7, 37. Si *quis sitit, veniat ad me, et bibat*.

38. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre ejus fluent, aquae vivae.

Apoc. 21, 6. Ego sitienti dabo *de fonte aquae vitae gratis*.

Jo. 4, 13. Respondit Jesus et dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem *biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum*:

14. sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in *vitam aeternam*.

Apoc. 7, 17. . . . quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, et deducet eos ad *vitae fontes aquarum*, et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum.

I. Cor. 10, 4. . . . et omnes eundem potum spiritalem biberunt (*bibebant autem de spiritali consequente eos, petra: petra autem erat Christus*);

Jo. 10, 9. Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, et ingredietur et egredietur et *pascua inveniet*.

Jo. 14, 6. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.

Eph. 2, 18. Quoniam *per Jesum habemus accessum* ambo in uno Spiritu ad Patrem.

Eph. 2, 14. *Ipse enim est pax nostra*, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua;

Jo. 5, 40. Non vultis venire ad me, ut *vitam habeatis*.

Jo. 6, 69. Respondit ergo ei Simon Petrus: *Domine, ad quem ibimus? verba vitae aeternae habes*.

I. Jo. 1, 1. Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt *de verbo vitae*,

2. et vita manifestata est, et vidimus et testamur, et annuntiamus vobis *vitam aeternam*, quae erat apud Patrem, et *apparuit nobis*:

3. quod vidimus et audivimus, annuntiamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit

cum Patre, et cum Filio ejus, Jesu Christo.

Jo. 3, 36. Qui credit in Filium, habet *vitam aeternam*, qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

Jo. 3, 14. Et sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis,

15. ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed *habeat vitam aeternam*.

16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed *habeat vitam aeternam*.

Jo. 6, 47. Amen, amen dico vobis: qui credit in me, *habet vitam aeternam!*

Jo. 8, 51. Amen, amen dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, *mortem non videbit in aeternum*.

Jo. 5, 21. Sicut enim Pater suscitatur mortuos, et *vivificat*, sic et Filius, *quos vult vivificat*.

Jo. 5, 26. Sicut enim Pater habet *vitam in semetipso*, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso!

- Jo. 17, 2. . . . ut omne, quod dedisti ei, det
eis *vitam aeternam*.
- Col. 3, 4. Cum Christus apparuerit *vita vestra*,
tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria!
- Act. 3, 15. . . . *auctorem vero vitae* interfecistis,
quem Deus suscitavit a mortuis, cujus
nos testes sumus.
- Jo. 10, 28. *Ego vitam aeternam do eis*, et non
peribunt in aeternum, et non rapiet eos
quisquam de manu mea.
- Rom. 6, 23. Stipendia enim peccati: mors;
gratia autem Dei: *vita aeterna, in Christo*
Jesu, Domino nostro.
- I. Cor. 15, 22. Et sicut in Adam omnes mo-
riuntur, ita et *in Christo omnes vivifica-*
buntur.
- Phil. 3, 21. Qui *reformabit corpus humilitatis*
nostrae, configuratum corpori claritatis
suae, secundum operationem, qua etiam
possit subicere sibi omnia.
- Jo. 6, 40. Haec est autem voluntas Patris
mei, qui misit me: Ut omnis, qui videt
Filium, et credit in eum, *habeat vitam*
aeternam, et ego resuscitabo eum in no-
vissimo die.

Jo. 5, 24. Amen, amen dico vobis: quia qui verbum meum audit, et credit ei, qui misit me, *habet vitam aeternam*, et in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam.

25. Amen, amen dico vobis: quia venit hora, et nunc est, quando mortui *audient vocem Filii Dei*, et qui audierint, *vivent*.

Jo. 11, 25. Dixit ei Jesus: *Ego sum resurrectio et vita; qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet;*

26. et omnis, qui vivit et credit in me, *non morietur in aeternum*.

Luc. 23, 43. Et dixit illi Jesus: Amen, dico tibi: *hodie mecum eris in paradiso*.

b.

Act. 9, 6. Et tremens ac stupens dixit: Domine, *quid me vis facere?*

Act. 9, 17. . . . Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut *videas, et implearis Spiritu sancto*.

I. Cor. 2, 2. Non enim iudicavi, *me scire ali-*

quid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.

Phil. 3, 8. Verumtamen existimo omnia detrimentum esse *propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei*, propter quem omnia detrimentum feci, et arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.

Jo. 13, 15. *Exemplum enim dedi vobis*, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

I. Pet. 2, 21. . . . vobis relinquens exemplum, ut *sequamini vestigia ejus* . . .

I. Cor. 4, 16. Rogo ergo vos: *imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

Rom. 13, 14. . . . *induimini Dominum Jesum Christum!*

Gal. 4, 19. Filioli mei, quos iterum parturio, *donec formetur Christus in vobis.*

Mat. 23, 8. . . . Unus est enim *Magister vester*, omnes autem vos fratres estis.

Mat. 23, 10. *Magister vester unus est, Christus!*

Mat. 19, 16. Magister bone, *quid boni faciam*, ut habeam vitam aeternam?

Mat. 19, 21. Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse . . . *veni sequere me!*

Mat. 10, 25. Sufficit discipulo, *ut sit sicut magister ejus.*

Luc. 6, 40. *Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister ejus.*

Mat. 11, 29. *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde et invenietis requiem animabus vestris!*

Luc. 9, 23. Dicebat autem ad omnes: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me.*

Mat. 10, 38. Et qui non accipit crucem suam, *et sequitur me, non est me dignus.*

Luc. 14, 27. Et qui non bajulat crucem suam, *et venit post me, non potest meus esse discipulus.*

Tit. 2, 11. Apparuit enim gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus,

12. *erudiens nos, ut abnegantes impietatem et saecularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc saeculo . . .*

II. Cor. 5, 15. . . . et pro omnibus mortuus est Christus, ut et qui vivunt, *jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.*

Gal. 2, 20. Vivo autem, jam non ego: *vivit vero in me Christus.*

Rom. 6, 11. Ita et vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, *viventes autem Deo*, in Christo Jesu, Domino nostro.

Col. 3, 3. Mortui enim estis, et *vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.*

Col. 3, 5. Et pax *Christi exultet in cordibus vestris*, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote.

Jo. 1, 12. . . . quotquot autem receperunt eum, dedit eis *potestatem, filios Dei fieri*, his, qui credunt in nomine ejus.

Gal. 3, 26. Omnes enim *filii Dei estis* per fidem, quae est in Christo Jesu.

Col. 3, 16. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter!*

I. Pet. 3, 15. Dominum autem Christum *sanctificate in cordibus vestris.*

Eph. 3, 17. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris*: in caritate radicati et fundati.

Heb. 3, 14. *Participes enim Christi effecti sumus*, si tamen initium substantiae ejus usque ad finem firmum retineamus.

II. Pet. 1, 3. . . . qui vocavit nos propria gloria et virtute,

4. *per quem maxima et pretiosa nobis promissa donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae . . .*

Col. 3, 24. Domino Christo servite!

Phil. 3, 7. . . . quae mihi fuerunt lucra, haec arbitratus sum propter Christum detrimenta.

Act. 21, 13. Ego enim non solum alligari, sed et mori in Jerusalem paratus sum propter nomen Domini Jesu.

Phil. 1, 21. *Mihi enim vivere Christus est, et mori lucrum.*

II. Cor. 1, 5. Quoniam, sicut abundant passionibus Christi in nobis, ita et per Christum *abundat consolatio nostra.*

I. Cor. 1, 7. . . . ita ut *nihil vobis desit in ulla gratia . . .*

I. Cor. 1, 5. . . . quod *in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo et in omni scientia.*

II. Cor. 8, 9. . . . propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia *vos divites essetis.*

II. Cor. 5, 14. *Caritas enim Christi urget nos...*

Rom. 8, 35. *Quis ergo nos separabit a caritate Christi?*

Rom. 8, 38. *Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo,*

39. *neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.*

Act. 5, 41. *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Jesu contumeliam pati.*

Gal. 6, 14. *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo.*

Col. 3, 17. *Omne, quodcumque facitis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum.*

I. Cor. 10, 31. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite!*

Col. 3, 1. *Quae sursum sunt, quaerite, ubi
Christus est in dextera Dei sedens!*

I. Pet. 2, 3. . . . si tamen gustastis, *quoniam
dulcis est Dominus!*

Conclusio.

I. Cor. 16, 22. Si *quis non amat Dominum no-
strum Jesum Christum, sit anathema:*
Maran Atha.

I. Pet. 5, 4. . . . cum apparuerit princeps pa-
storum, percipietis *immarcescibilem gloriae
coronam.*

Apoc. 22, 20. Veni, Domine Jesu!



NARODNA IN UNIVERZITETNA
KNJIŽNICA

COBISS



00000320615

Diarium ordinis, seu annotatio functionum sacerdotalium, quas executus est vi Ordinis sui. Composuit F. S. Ségula, parochus. Tituli: I. Provisiones infirmorum, II. Sermones et exhortationes, III. Confessiones auditaе, IV. Copulationes. Ausgabe A. 400 S. für 25 Jahre ausreichend. In Leinw. geb. mit Lederrücken. Preis fl. 2.70 = M. 4.50. Ausgabe B. 200 S. für 10 Jahre ausreichend. Ebenso geb. Preis fl. 1.80 = M. 3.—.

Hymni, antiphonae, versiculi atque orationes pro diversis officiis. Mit bischöflichem Imprimatur. 1880. (16 S.) Lex.-8°. In Leder gebunden. Preis fl. 1.50 = M. 3.—.

Ein elegant ausgestattetes Heft, zum Gebrauche am Altare, wenn angestimmt und gebetet werden sollen: Hymnus de Spiritu Sancto: „Veni sancte Spiritus“ oder „Veni Creator Spiritus“ mit zugehörigem V., R. und Oratio. — Hymnus: „Te Deum laudamus“ mit V., R., Oratio, auch Oratio coram Sanctissimo, mit Oratio pro Imperatore mit V. und R. — Ferner die Antiphonen und zugehörigen Orationen: Alma Redemptoris Mater; Ave Regina Coelorum; Regina Coeli laetare; Salve Regina. — Zum Schlusse: Asperges me und Vidi aquam.

Lettern gross wie in Messbüchern. Schwarz- und Rothdruck.

Mündelheim, Nebridus a, Can. regul. S. Aug. Claustro-Neoburgi, Libri duo de vita et virtutibus magni ecclesiae doctoris S. Augustini, Hippo-nensis episcopi. Nunc in memoriam millies et quingenties reversi anniversarii conversionis S. Augustini recens oblati, emendati et ampli-cati appendice „Alimenta pietatis Augustinae per Bertholdum A. Egger, can. reg. lat. Claustro-Neoburgi“. 1888. (XVI u. 395 S.) 8°.

Preis brosch. 65 kr. = M. 1.10

Preis i. Leinw. geb. mit Rothschn. fl. 1.— = M. 1.80

Liber intentionum. Alia missarum stipendia, quam quae in hoc libro inscripta sunt, se nec accepisse nec ad alia porsolvenda obligari, sub fide sacerdotali testatur subscriptus. (128 S.) 8°. Preis geb. 50 kr. = 80 Pf.

Verlags-Buchhandlung „Styria“ in Graz.

Müllendorf, P. Julius, Priester der Gesellschaft Jesu, Methode zur Auffindung der Eehinder-nisse bei mehrfacher Blutsverwandschaft. Ein Beitrag zur Pastoral. Mit Genehmigung des f.-b. Ordinariates von Seckau und Erlaubnis der Ordens-Obern. 1888. (27 S. mit vielen Textfigu-ren.) 8°. Preis 30 kr. = 50 Pf.

Ordo, ex directorio chori excerptus, ad cantandam tertiam diebus dominicis et festis cum hymnis et psalmis ad sextam et nonam. 1885. (40 S.) Gr.-°. In Leinw. geb. Preis 50 kr. = 80 Pf.

Psalmi pro horis diurnis in festis sanctorum et commune sanctorum nec non appendix continens orationes ante et post missae celebrationem et alia. 1882. (151 S.) 8°.

Preis brosch. 50 kr. = 85 Pf.

Preis geb. fl. 1.— = M. 1.70

Schlör, Dr. Alois, Clericus orans atque meditans. Libellus precum, usui seminariorum clericalium proxime destinatus, sed etiam omnibus clericis conveniens, cum permultis meditationibus ad-umbratis et instructionibus ad vitam pie instituendam. Editio nova, emendata, novis festis aucta 1888. (XI u. 496 S.) 8°.

Brosch. fl. 1.— = M. 1.70

In Leder geb. mit Rothschnitt fl. 1.50 = M. 2.50

Ein seinem größten Theile nach aus den liturgischen Büchern erhobenes Buch, das ganz geeignet ist, Studierende und junge Cleriker in den Gang und Geist des kirchlichen Tageslebens einzuführen. Zugleich bietet dasselbe kurze Skizzen und Punkte für praktische Erwägungen. Von dem Titel und einzelnen Instructionen abgesehen, dürfte das Buch sich auch Laien, die gerne in der Sprache der Kirche beten, empfehlen.

Weiß, Prof. Dr. Johann, Orgelbegleitung zu den Responsorien beim heiligen Amte. In verschiedenen Transpositionen. 1883. (15 S.) 4°. Preis cart. 60 kr. = M. 1.—.

— Responsorien-Tafeln beim heiligen Amte. 1884. (2 S.) 4°. Preis aufgezogen 20 kr. = 40 Pf.